

auxiliumque viae veteris tellure recludit  
 thesauros, ignotum argenti pondus et auri.  
 his commota fugam Dido sociosque parabat.  
 conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni  
 aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,  
 corripiunt onerantque auro. portantur avari  
 Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.  
 devenere locos, ubi nunc ingentia cernis  
 moenia surgentemque novae Karthaginis arcem,  
 mercatique solum, facti de nomine Byrsam,  
 taurino quantum possent circumdare tergo.  
 sed vos qui tandem quibus aut venistis ab oris,  
 quove tenetis iter?' quaerenti talibus ille  
 suspirans imoque trahens a pectore vocem:

'o dea, si prima repetens ab origine pergam,  
 et vacet annalis nostrorum audire laborum,  
 ante diem clauso componet Vesper Olympo.  
 nos Troia antiqua, si vestras forte per auris  
 Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos  
 forte sua Libycis tempestas adpulit oris.  
 sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates  
 classe veho mecum, fama super aethera notus.  
 Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.  
 bis denis Phrygium concendi navibus aequor  
 matre dea monstrante viam data fata secutus;  
 vix septem convolsae undis euroque supersunt.  
 ipse ignotus egens Libyaeg deserta peragro,  
 Europa atque Asia pulsus.' nec plura querentem  
 passa Venus, medio sic interfata dolore est:

'Quisquis es, haud credo invisus caelestibus auras  
 vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.  
 perge modo atque hinc te reginae ad limina perfér.  
 namque tibi redūces socios classemque relatam  
 nuntio et in tutum versis aquilonibus actam,  
 ni frustra augurium vani docuere parentes.  
 aspice bis senos laetantis agmine cygnos,  
 aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto

360

365

370

375

380

385

390